

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0009

LOG Titel: Sectio III. De Solida Corporis Humani Materie in universum speciatim vero De Tela Mucosa

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

S E C T I O III.

D E
SOLIDA CORPORIS HUMANI
MATERIE IN UNIVERSUM
S P E C I A T I M V E R O
D E T E L A M U C O S A

§. 17.

Solida *) ex ipsis fluidis ortum ducunt; ita ut in primo gelatinosi embryonis rudimento sensim sensimque solida suis quaeque locis subnascantur, infinitis cohaesione gradibus **) inter se diversa, a mollissimis et fere pultaceis inde, qualis est substantia medullaris cerebri,

*) HIER. DAV. GAUBII *Spec. exhibens ideam generalem solidarum c. h. partium.* Lugd. Bat. 1725. 4.

**) ABR. KAAU BOERHAAVE *de cohaesione solidorum in corpore animali.* in *Nov. comm. acad. Petropolit.* Tom. IV. p. 343 sq.

DE SOLIDIS CORPORIS HUMANI. 19

ad durissimas usque, cuiusmodi est cortex vitreus coronae dentium.

§. 18.

Omnibus hisce solidis praeter materiem gelatinosam (§. 11.) et glutinosam (§. 14.), terrea quoque pars constitutiva plus minus inhaeret, eaque maxime calcareae indolis, acido phosphoreo nupta, quare vulgo calx phosphorata audit. Maxima huius portio in ossibus, praesertim provectione aetate, cum contra tenuiae aetatulae corpusculum gelatinosa materie abundet.

§. 19.

Quoad texturam suam magna pars partium corporis nostri similarium, ut veteres vocabant *) fibrosam compagem monstrat, ex filis plus minus parallelis congestam. Cernere id est in ossibus,

*) Bifariam nempe corpus humanum dividebant in partes A) *similares*, scilicet *homogeneas*, quae nempe in similes sibi particulas dividuntur, ut ossa, cartilaginea, musculi, tendines etc. et B) *dissimilares*, quae ex similaribus compositae sunt, ut caput, truncus, artus et s. p.

foetuum in primis *), tum in musculari carne, in tendinibus, ligamentis, aponeurosibus, membranis quibusdam v. c. dura meninge etc.

§. 20.

Aliis vero partibus diversa ab hac quam diximus textura est, ut nihil fere fibroſi in ipsis discernere liceat, sed alia cuique generis peculiaris compages, quam ab Erasistrati inde temporibus *parenchyma* dicunt, idque visceribus praesertim fecerentibus quibusvis proprium:

*) Luculentissime fibrae ossae tam parallelae, quam reticulatae, pateſcent in radiatis marginibus ossium planorum prout in grandioribus hydrocephalis nuper natis conficiuntur. Ita in uno eorum quos supellex mea anatomica servat, anguli sphenoidei ossium verticis in filamenta ossea eaque distincta et tenerima excurrunt, quae unam alteramque unciam longitudine aequant. Verum et omnium durissimae sceleti partes, dentium inquam substantia tam ossa quam vitrea (ut vulgo audit) contextum exhibit, isti simillimum quem in fossilibus quibusdam, zeolitho v. c., malachite, haematite etc. mineralogi ad unum omnes *fibroſum* appellant.

aliud v. c. renibus, aliud hepati, cerebro etc.

§. 21.

Verum omnibus hisce compagium generibus, sive ad fibram sive ad parenchyma proprium pertineant, communis quaedam *tela* intertexta est *mucosa* *), quae vulgo ast minus accurate cellulosa audit, siquidem continuum potius et aequalem, tenacem, tractilem, subpellucidum contextum glutinosum exhibet **), facili quidem encheiresi tam in cellulosam quam vesiculosam telam transformandum, ceterum vero inter primas et principes et maxime memorabiles corporis nostri partes constitutivas referendum.

§. 22.

Primo enim plures corporis humani partes solidae fere totae quantae ex elus-

*) DAV. CHR. SCHOBINGER (praef. Hallero) *de tela cellulose in fabrica h. c. dignitatibus*. Gotting. 1748. 4.

S. CHR. LUCAE *ad calcem observat. circa nervos arterias adeuntes*. Francof. 1810. 4.

**) CASP. FR. WOLFF in nov. act. ac. Petrop. T. VI, pag. 259.

modi tela sunt constipatae, quo v. c. pertinent pleraque membranae et cartilagine, utpote quas diutina maceratione in laxiorem iterum telam mucosam resolvere licet. Aliis vero tamen adeo intime intertexta est, ut reliquarum quibus constant partium, receptaculum quasi sit et fulcimentum; ita v. c. durissima ossa antea ex cartilagine constabant, quaē ipsa tela erat mucosa stipata: postea vero succi ossi accessu in laxiorem cellulofam distenta, eoque ipso quasi impregnata. Imo vix ab illa corporis nostri parte solida abesse videtur ea tela, si extima corporis integumenta, epidermidem nempe cum unguibus et pilis excipias, tumque corticem vitreum coronae dentium, utpote in quo, acido fortiori commisso, nihilum eiusmodi telae simile reperire mihi licuit.

§. 23.

Porro etiam ea tela tanquam septimentum vicinis partibus, muscularis praesertim et membranis interiecta est: aliis

tanquam fulcrum adiacet, vasis maxime nervisque: in universum autem commune quoddam vinculum constituit, quo partes omnes ac singulae cum vicinis suis cohaerent.

§ 24.

Duplex exinde per se fluit consequarium:

Alterum quod ipsa haecce tela mucosa s. cellulosa universae totius corporis compagis eatenus fundamentum constituat, ut si animo concipere liceret omne id quod praeter cellulosam in corpore superest demtum, et cellulosam eam totam situ suo supersitem, nihilominus universi corporis partiumque eius formam remansuram fore.

Alterum, quod ipsius huius fundamenti cellulosi ope nexus et via quae-
dam inter omnes corporis partes pateat,
sintve ceteroquin natura sua maxime di-
versae, sive situ a se invicem remotissi-
mae; id quod tum ad dirimendas de
continuationibus membranarum logoma-

chias, tum ad explicanda quamplurima
morbosa phaenomena notari meretur.

§. 25.

Uti vero ea tela mucosa plerisque corporis partibus solidis ortum et fundatum praebet, ita et ipsa lymphatica quam diximus sanguinis parti originem suam debere videtur, utpote quam ex peripneumonicorum pulmonibus transudatam in ipsam eiusmodi telam abire vidi, quae mox pseudomembranas constituenta viscera ea pleurae nectere solet.

§. 26.

Haec de contextus mucosi natura et dignitate generatim dicta sufficient. Iam de nonnullis eius varietatibus.

Et primo quidem non una eius est firmitas.

In universum enim, ceteris paribus, humano corpori *tenerrima* concessa videatur cellulosa, si cum eadem tela in animalibus compares; imo ni fallor ipsissima haec cellulosae humanae mollities

ad principes hominis praerogativas pertinet, qua nempe tum ad sensum stimulorum subtiliorum tum ad motus aliasque functiones maiore cum perfectione subeundas aptior redditur *).

Sed et ipsos homines multa intercedit cellulosea quod ad laxiorem aut firmorem contextum differentia, respectu aetatis, sexus, temperamenti, vitae generis, climatis etc.

Denique etiam varius est tenor huius telae pro varietate locorum corporis quibus interiacet: ita v. c. laxior in palpebris et praeputio, et pone frenulum sublinguale, strictior contra circa aures etc.

§. 27.

Porro et *usus* telae mucosae aliis praeter eum quem in genere corpori praebere diximus (§. 22. 23.) nominandus venit, quo quidem recipiendis non unius generis fluidis destinata est.

*) Pluribus haec exposui libro *de generis humani varietate nativa* pag. 46. edit. 3.

26 SECTIO III. DE SOLIDIS CORP. HUM.

Et quidem maxime halitum serosum
et aquulam recipit, qua ad unam fere
omnes corporis partes irrorantur, lubri-
cantur, et quam ex systemate sanguifero
secretam spongiae quasi humidae in mo-
dum imbibere et vasorum lymphatico-
rum systemati tradere, adeoque ad vin-
cula principalia pertinere videtur, quae
bina ista vasorum systemata intercedunt.

§. 28.

Praeterea autem aliis quoque peculia-
ribus humoribus recipiendis inservit qua-
rundam corporis partium tela cellulosa.
Ita ea quae vitreum oculi corpus con-
stituit, humore eius nominis grava est:

quae membranam medullarem ossium
format (quam vulgo, ast minus apte, pe-
riosteum internum appellant) medullam
continet:

magna denique pars mollibus parti-
bus interiecta, reliquum adipem, de quo
infra pluribus agendi dabitur locus.
